

GLASGOW UNIVERSITY LIBRARY
VIA VERITAS VITA



DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
QUÆDAM DE
PHTHISI CURANDA
COMPLECTENS;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
GULIELMUS CULLEN,
Scotus,
SOCIET. REG. CHIRURG. EDIN. SOC.
SOCIET. MED. EDIN. SOC. EXTR. NECNON PRÆSES ANNUUS,
ET SOC. MED. ET CHIRURG. LOND. SOC.

IV. NON. SEXTILIS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIV.

AVUNCULO SUO,

JOANNI HOPE,

DE CRAIGHALL,

VIRO

EQUESTRI DIGNITATE,

OMNIUM BONORUM VENERATIONE,

FAVORE PRINCIPIS

INSIGNI,

GENEROSO, JUSTISSIMO, OPTIMO;

HANC DISSERTATIONEM

D. D.

GULIELMUS CULLEN.

To

D. Thomson

with the respectful Compliments

of the Author.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

PHTHISI CURANDA

COMPLECTENS.

De re tam longa, tamque difficili, et quæ clarissimorum scriptorum ingenia et industriam ita exercuit, non est consilium fuse disserere, aut etiam, quantum in me sit, omnia pertractare; satis superque fuerit, pauca et generalia quædam consilia et rationes curandi proferre, quæ usus deinceps introduxit, aut anatomia pathologica nuperrime monstravit. Sed materiam adgredior meis viribus vehementer diffisus, quippe quem

experientia satis longa nondum iustituerit, quemque auctorum sententiæ, variæ et inter sese discrepantes, dubium et incertum reddiderint.

Quum nullus corporis humani morbus, quam Phthisis Pulmonalis, rarius aut difficilius curetur, nullum ideo majore ostentu medicandi et pollicendi, empirici et circumforanci sibi vindicant; nec mirum est specifica, ab antiquissimis temporibus quæsita, etiam nunc inexhausta credulitate quæri. Qui tamen morborum causas ex cadaveribus inspectis diligenter perspexerit, is pessimorum hominum pæstigias et fraudem jure queretur; et talem indagationem, non solum adhuc inutilem, sed per omnia sæcula inutilem futurum esse, confitebitur. Et, mehercule, qua vi admirabili, aut potius divina, tale medicamentum pollere oportebit, quo in hoc morbo Specifici titulo gaudeat et glorietur! Cinchona, quibusdam proprietatibus incognitis, aut suspectis tantum, Febres intermittentes arcet et resolvit, et Syphilis Hydrargyri potestatem agnoscit; sed contra Phthisin specificum, duas, et inter se quam maxime diversas, vires habere debebit, sine quibus conjunctis virtutes ejus omnino mancæ et imperfec-

tæ essent; duos nimirum morbos, vel morbosas conditiones, ex toto amovebit. Quod ad primam attinet, absorptionem tuberculorum maleficorum, concoctione (*ramollissement*) nondum incepta, aut, si inceperit, sine partium exulceratione, aut excreatione, incitabit: quod ad alteram, actione penitus adversa, ulcerum et sinuum undequaque per substantiam pulmonis disjectorum, nova textura evocata, obliterationem sanationemque idem perficiet. Ullæne autem inanes Pharmacopœorum substantiæ has vires salutares præstant? His argumentis muniti, cælone confidemus; aut longinquo maris itineri; credemusne lacti asinino tantopere decantato: aut vapori piceo; aut muriati calcis; aut digitali; aut acido prussico; aut centum denique aliis, ineptissime jactatis pariter et abusis? Respondebit cadaver;—inde manifeste docemur, mutationes structuræ adeo complicatas et lethales existere, ut his ridiculis medicamentis penitus resistant. Sed, quod et imprimis mirandum est; qui contra Phthisin remedium quærit, aut invenisse se credit, non huic uni sed sexcentis aliis morbis remedium invenisse ei credere oportet. Ut sibi constet, ulte-

rius progredi debebit, multosque morbos, eodem fonte quo Phthisis oriundos, et signis tantum diversos, haud dubia spe curandi, fidei et experimentis subjiciet. Ex. gr. Si, ullo specifico admoto, Phthiseos primum tempus curari possit, hoc est, si tubercula e pulmonibus absorberi possint, tum, pari ratione, tubercula, ubicunque corporis sita, absorbere quoque possunt; et, ita, mutationes tuberculosæ, seu ossium, seu glandularum lymphaticarum, musculorum, membranarum serosarum, et cellulosæ, seu cerebri, omnes pariter sanabiles esse oportet. Hocce remedium, quandocunque inventum, omnes tumores colli scrophulosos, omnes formas tabis mesentericæ, peritonitidis tuberculosæ, et multas sine nomine morbosas conditiones malesanas, delebit et expellet. Quinetiam, si secundo tempori non impar est, hoc est, si cava exulerata novis carnibus instruere possit, fluxo purulento impedito, cicatrizatione accelerata, pariter, ulceribus et fistulis omnigenis resistere, et eadem sanare poterit. Tunc temporis, non diutius emplastro adhæsivo et fasciis opus erit, contra ulcera crurum inveterata; non diutius plagæ ad fistulas ani aut vesicæ curandas

faciendæ erint; et tunc, ut levissime dicam, abscessus psoæ opprobrium chirurgorum esse desierint.

Sed, revera, hæ severæ cogitandi rationes nusquam ab iis exercentur, qui aut inventores, aut fautores specificorum sese perhibent. Omnibus idem hoc vitium; aliorum remedia redarguere, sua extollere: Singuli ad Phthisin solam utilitatem circumscribunt, dum alios morbos omnimodo congeneres despiciunt et negligunt. Nos autem, denique, antiquorum disciplinis et recentiorum inventis imbutos, profiteri et credere docet, qui Phthisin remedio quodam proprio curasse præ se ferunt, eos aut decipere, aut decipi; et fide, utrumvis sit, indignos esse.

Non ideo negandum est, multos Phthisi laborare visos, diversis remediis corroboratos, ad spem valetudinis accessisse, aut etiam hanc ipsam bonam assecutos esse. Exitus funesti, tamen, semper felicium numerum longe superaverunt; nec levare morbum idem est quod tollere: quin etiam suspicandum est, quod in observationibus Phthiseos sanatæ, non de Phthisi Pulmonali vera, sed de Catarrhis agitur; in quem errorem

ii facilius incident, qui, Stethoscopii increduli, ex symptomatologiæ generalis principiis Phthisin præsentem aut absentem judicant. Catarrhus, præsertim si febris hectica (ut sæpe accidit) comitatur, Phthiseos formam induet; et, si ullo specifico cedat, sanavisse Phthisin medicus sese credet, mira observatione, et miro medicamento pariter atque uno ore decantatis. Talis est, semperque erit, historia specificorum, omnibus æque absurdis et fallacibus.

Utcunque, igitur, eorum sententiæ adversi simus, qui Phthisin ex iisdem principiis quibus febrem intermittentem, aut syphilidem curant, non ideo judicandum est medicamenta recte adhibita aut nocere aut minime prodesse. Revera opinionem mordicus teneo, nullum intra Nosologiæ fines morbum inveniri, perpetuo et indefesso medici studio magis dignum; sed specifica penitus effugiat, et ex principiis solis Anatomiæ Pathologicæ rationem curandi instituat. Ad hunc tam utilem nobilemque finem, hæc duo maxime respicienda sunt: 1mo, Ne tubercula gignantur; 2do, Ut formata aut quiescant, aut e corpore expellantur; cura quam maxima adhibita

ne æger majore suppuratione et febre hectica tabescat et consumatur.

Quod ad prophylactica attinet, de viribus cœli et locorum imprimis agendum est, ut quæ plurimum, consensu omnium ad rem pertineant, necdum pro dignitate satis perspectæ. Non desunt, qui mutationem cœli solam, præsertim e nostro vario et frigidulo, curationi parem esse affirmant, et omnino præcipiendam, nisi tum cum sudores ingentes, summa macies, et diarrhœa, mortem instantem denuntiant. Alii minus ad spem proclivi, initio solum, antequam, tubercula ad suppurationem processerint, utilem arbitrantur. Dubitari non potest, quin migratio ad cœlum calidum siccumque, et æquale, optimum sit remedium in longis affectibus inflammationis membranæ bronchorum ; idque, fortasse, magis quia homo sic desinit frigido illo humidoque aëre affici, unde morbus primum profectus est, quam quod revera hæc mutatio cœli aliquid per se confert ad inflammationem tollendam. Utcunque tamen hoc sit, vehementer incertum mihi esse videtur, an talis ulla mutatio aliquid conferre possit, utique in materia tuberculata discutienda. Quod

ad me, parum aut nihil huic præsidio in confirmato morbo confido: neque quidem confidam, donec manifeste videro, non modo illam propriam formam tuberculorum, de quo nunc agitur, verum omnes alias quoque, calida regione depulsas. Ut autem hoc remedium in omnibus morbis tuberculatis vanum esse videtur, ita maxime initio inutile esse judicarem; neque unquam hoc consilio iter ad regiones australes præciperem. Non enim tubercula nondum suppurata ita absorberi possunt, ut functiones pulmonis integræ relinquantur, (nusquam enim in corpore tanta vis absorbendi est), quamvis fortasse in cursu suo impediri possint. Inde, etiamsi concedendum sit, multos, ut visum est, Phthisicos, protinus a decessu suo ab ora Britannica plurimum pro tempore adjustos fuisse, febre hectica mitiore facta, tussi rariore, et leniore, sputoque et minus copioso et melioris naturæ; tamen hæc omnia huc solum referenda sunt, quod, ex mutatione aëris, et rationis victus, affectus catarrhales, qui semper fere in Phthisi urgent, multum leniuntur; tuberculaque, quamvis neque pauciora, neque meliora fiunt, cessatione tamen exci-

tantis tussis aliquatenus temperantur. Quid multa? Summopere dubium est, an vera Phthisis, utcunque impedita, hoc modo unquam depulsa fuerit; semperque dubium erit, donec medicus aliquis, usu Stethoscopii longiori edoctus, totam rem bene exploraverit; sine quo testimonio, existimare semper licebit, eos homines qui sic sanatos fuisse narrantur, non Phthisi, sed longo et mali moris Catarrho laborasse. Denique, ego quidem hoc censeo mutationem cœli nihil protinus in Phthisi prodesse; solumque eousque valere, quod inflammationem catarrhalem bronchorum, quo prior morbus semper ita adaugetur et acceleratur, aut impedit aut depellit. Homo, igitur, ita affectus semper in meliore spe erit in calida quam in frigida regione; et, quamvis ad sanitatem non sic perveniat, tamen cum neque catarrhus, neque pneumonia accedat, morbus certe et mitior et tardior erit.

Aliud autem, quod semper considerari debet, quoties ægrum aliquo mandare paramus, est, quæ sit Artis Medicinalis conditio in eo loco quo eum mittere cogitamus; neque enim saluberrimum cœlum sine medici periti assidua curatione ali-

quid proficere potest; verique simile est, quod domi manere, beneque curari, longe satius est, quam in felicissima regione ita vivere, ut temere alioquin habeatur. Hoc autem ubi servatur, licet fortasse huic præsidio multum confidere, utique tanquam prophylactico, in iis qui ad morbum proclivitatem quandam a parentibus habent, quique jam tussire inciperunt, vel levissimum signum accedentis morbi ostenderunt. Etenim tum demum sperandum est, fore ut calidius cœlum aliquid protinus opituletur; id quod efficere videtur, tollendo ista functionis mala, irritabilem istam molestamque tussim, quæ in corporibus obnoxiorum, tuberculorum tam sæpe formatione terminatur. Neque quidem contenti esse debemus una sola hieme sic peracta, sed imperandum est, ut, si fieri quidem potest, æger plures annos ibi persistat, donec pulmones ipsi ad integritatem plane pervenerint, valetudoque prospera ad reliquam totam ætatem comparata sit. Quod pertinet ad loci selectionem, parum fortasse interest quis sit, dummodo media ejus temperies, non infra gradum quinquagesimum et sextum aut sexagesimum sit; necque multum discrimi-

nis hoc nomine est, intra quasdam partes Gallicæ, Italiæque Australis. Hæ non ideo rejiciendæ sunt, quia Phthisis apud incolas satis vulgo conspicitur; semper enim magis Phthisicis idoneæ, quum plerique loci in Britannia utique erunt; mala eorum immedicabilia, aliquatenus lenire poterunt. Probabile tamen est, Devoniam, vel quasdam partes Cornvalliæ, non minus salutares esse quam ullas alias; siquidem temperies earum satis alta est, (ut quæ auris Oceani Atlantici perpetuo calefiant), ægerque sic tutus erit ab omnibus iis molestiis, quas peregrini nusquam sentire non solent, neque frui desinet omnibus iis commodis, quibus natale solum ad plenitudinem abundat.

At alii modi Phthisi occurrendi sunt per idoneos cibos, idoneaque vestimenta. Is, igitur, qui huic morbo opportunus est, bonis cibis, sæpiusque quotidie sumptis, vesci debebit; præsertim instante aut jam elapsa pubertate, quo tempore maximum corporis incrementum fit. Cibus autem ex frugibus solis admodum perniciosus est, sæpeque, ubi ex paupertate, aut ex morbo aliquo acuto, necessarius fuit, Phthisin movere visus est.

Ut alias ubique, autem, hic quoque aurea mediocritas optima erit; quoniam ex intemperantia ulla, homo ita a Phthisi fortasse servabitur, ut in acutum aliquem pestiferumque morbum præcipitetur. De vestimentis autem illud memorandum est, quod, uti hæc, cum parum idonea sunt, actionem aëris in corpus permittendo, Phthisin excitare possunt, ita crassa, satis calidaque, eandem sæpe impediunt. Æger, neque itaque, affectatione, neque aliorum consuetudine motus, debebit per totam hyemem calide vestiri, pannisque laneis, tibialibus e filo laneo, aliisque similibus assidue uti. Eodem consilio omnes cœtus diligenter evitandi sunt, ubi tenuiora vestimenta exiguntur, quibus formæ et elegantiæ magis quam valetudini consulitur; neque quidem nisi per quatuor æstivos menses, aliquid unquam solitis vestibus tute demitur.

At, imaginemur nunc, remedia prophylactica aut ex toto prætermissa fuisse, aut ad arcendum morbum nihil valuisse, tuberculaque jam esse formata, quæritur, quibusnam remediis hæc aut impediri, aut, si suppurarint, ad felicissimam finem duci posse. Constat fere inter ingenuissimos si-

mulque peritissimos medicos, curationem ex toto antiphlogisticam sæpissime respondere; quæ ideo plerumque adhiberi videtur, quia existimatur tubercula naturæ inflammatoriæ esse, posseque remediis huic conditioni aptis depelli.

Fatendum tamen est hanc sententiam vanam esse; etenim hæc corpuscula ex propria actione secernente nasci videntur, sub qua texturarum vitales actiones nullo modo adaugentur, neque ullum est testimonium excitatæ actionis vasculosæ. Utcunque vero falsa hæc opinio esse possit, tamen curatio quæ ex ea proficiscitur fortasse optima est. Bene enim cognitum est, summum in Phthisi periculum sæpe oriri ex inflammatione, vel bronchorum, vel propriæ texturæ pulmonis, vel denique pleuræ; neque dubitari potest, quin ad hanc optimum præsidium curatio antiphlogistica sit.

Veruntamen meminisse debemus, hanc curationem, non modo non semper exigi, sed etiam interdum plurimum nocuisse, ideoque nunquam præcipi decet, nisi ubi propria signa postulant. At si cæteræ partes hujus curationis non raro in hoc morbo inimicæ sunt, hoc præcipue verum de

copiosa sanguinis missione mihi esse videtur; per quam vires corporis multum franguntur, sæpeque, ex imbecillitate, et irritabilitate, quæ inde moventur, nova tuberculorum seges evolvitur. Hoc igitur auxilium, utique in primo tempore morbi, plerumque supervacuum est; tumque solum admoveri debebit cum Stethoscopium urgentem jam inflammationem in pulmone ostenderit. Atque ita in secundo tempore morbi curatio antiphlogistica vehementer lædit. Quid enim? Certandum nunc est contra malum ex lata suppuratione ortum, veluti abscessum psoæ, aut magnum vulnus, secunda intentione ut dicitur sanescens; hi autem posteriores affectus depletionibus nunquam bene curantur, sed potius a plerisque chirurgis per cerevisiam fortem, vinumque, et diætam lautiorem, ad felicem finem ducuntur. Hæc tamen ita dico, ut non affirmare velim, eadem pariter bene in Phthisi esse semper responsura. Tanta enim est in pulmone propensio ad inflammationem, ut imprimis verisimile esse videatur, fore, ut tali victu hæc moveatur; atque adeo ut tussis febrisque graviores quoque ita reddantur. Optimum ergo erit medi-

cum cursum sequi, ita ut neque ægrum nimis jam infirmum depletionibus magis magisque debilitemus, neque res tam nutrientes tamque excitantes demus, ut Pneumonia Pleuritisve periculosa moveatur. Quod si forte inflammatio hoc tempore morbi supervenerit, curatio ejus difficillima est ; eo, quod primarius morbus unam medelam, illa autem alteram planeque contrariam exigit. Frustra igitur ullæ generales leges in hoc duplici morbo proponuntur. Modo sanguinis missio e brachio postulatur, modo satis erit e pectore sanguinem detrahere per hirudines, vel cucurbitulas ; neque uterque modus utilis est, ægerque derelictus persistente morbo cito interimitur.

Sequitur ut pauca de contra-irritatione (uti vocatur) nunc dicam ; quæ quidem nobilissimum remedium in actione locali imminuenda, proclivitateque ad inflammationem superanda, diu habita est. Hoc modo, autem melius occurritur morbo, quam succurritur, quamvis utilis esse potest vel certe sine injuria adhibetur, in omnibus morbi temporibus. A quibusdam medicis frequentia vesicatoria laudantur ; ab aliis, contra, melius esse judicatur, unum apertum per unguen-

tum Sabinæ servare: ex his quæ ipse vidi frequentia præcipere equidem nollem. Cutis enim Phthisicorum admodum tenuis esse solet, habitusque corporis valde irritabilis, ita ut non raro etiam exiguum vesicatorium summam perturbationem moveat. Itaque fortasse in talibus longe melius foret, aut setaceum præcepisse, aut fonticulum ex medicamento adurente ad contra-irritationem faciendum; eaque admoveri pectori debent quam proxime possumus ad locum qui præcipue affici videtur.

Quod ad medicamenta autem attinet quæ in Phthisi utilia sunt, plurima, ex narcoticis præsertim, valde commendata sunt; alia, uti remedia propria, et, ut dici solet, specifica, alia, solum adversus certas molestias. Ex his Opium multis consiliis datum est; modo ad sudores nocturnos cohibendos, vel nimis crebras dejectiones supprimendas, modo ad liberiorem sputi excreationem excitandam, modo ad generalem corporis irritabilitatem depellendam; sed perraro commode respondet. Etenim, cum irritabilitas semper pro extensione morbi sit, sequitur ut opium, quod morbosam conditionem ipsam non imminuit,

neque signum morbi imminuere possit. Sudores nocturni quoque multo melius per frigidulum aërem, acidumque sulphuricum, quam per opium moderantur; neque hoc fortasse tantum prodest etiam in dejectionibus supprimendis, quantum prodesse vulgo existimatur. Quoniam enim hoc incommodum, non ex adaucta actione peristaltica intestinorum, sed ex inflammatione eorum atque exulceratione proficiscitur, quamvis dejectiones ipsæ per opium quidem cohibeantur, tamen causa earum, atque ita periculum ex iis, nullo modo imminuitur. Nihilominus, utique in certis molestiis levandis opium nobilissimum remedium est, satisque copiose adhiberi potest, si modo nihil sit in hominis conditione quod usum ejus periculosum reddat. De dejectionibus autem colliquativis (ut ita dicam) licet fortasse hic dicere, quod, in medicina exercenda, nimis cura, nimiumque studium, his ipsis sæpe datur, parumque considerare solemus, quæ sit causa unde oriuntur; atque ita, vulgo, modo diarrhœæ primariæ, per medicamenta ex opio, astringentiaque, et antacida curantur. Ex his rebus, quædam valere possunt actionem peristalticam intestinorum

impediendo ; aliæ secretiones mucosas imminuendo, vel ex toto sistendo ; nullæ autem aliquid conferre possunt, vel certe parum, ad ulcerum in colo sanationem ; ita ut facillimum intellectu sit, quemadmodum diarrhœa impediri possit, neque tamen periculum ægri ullo modo imminui. Manifestum quidem est, ubi homo frequentibus dejectionibus vehementius vexatur, vel ubi tenesmus multum urget, cum his ipsis proprie contendendum esse ; plerumque, tamen, optima diarrhœæ curatio est ciborum generi atque proprietatibus consulere, et quoties tute fieri potest, fomenta ventri admovere, vel hirudines eidem identidem affigere.

Aliud autem medicamentum quod in summa laude diu fuit in hoc morbo curando Digitalis est ; eademque fere ab omnibus medicis adhibitur, aut veluti proprium et singulare remedium, aut certe ut quædam ex molestissimis signis discutiat. Certum tamen mihi est, hocce medicamentum nullo modo tantis laudibus dignum esse ; quin etiam, vehementer dubito, an possit in ullo tempore Phthiseos, ne in primo quidem, ubi a quibusdam efficacissimum esse judicatur, morbum

solvere. Verum tamen est, quod, per hoc remedium pulsus frequentia imminuitur; hoc autem propria ejus in cor actione efficitur, sic tamen ut nullam omnino potestatem exerceat in proprietates vitales extremorum vasorum, in quibus solis vitiatæ mutationes structuræ procedunt, eaque sine ulla adaucta actione a parte cordis. Idem, maxima ex parte, dici quoque potest de omnibus aliis morbi inflammatoriis in quibus digitalis ita laudatur; quam, quidem, ego nunquam vidi ne minime quidem prodesse, ex ulla in partes inflammatas actione locali. Potest, fortasse, quædam generalia signa interdum cohibere, at causam eorum, et radicem quasi ipsius morbi, plane intactam relinquere solet. Igitur in Phthisi adhiberi potest propter facultatem ejus narcoticam, ad molestias ægri imminuendas, doloremque leniendum; quod ad febrem hecticam autem solvendam, vel sudores nocturnos coercendos, parum aut nihil proficere videtur.

De Acido Prussico, quod nuper a celeberrimo physiologo primum adhibitum est, fatendum mihi est, quod ex propria mea experientia dicere nihil possum: illud tamen dicam, quod, in illo

ipso valetudinario, ubi initio datum est, dari jampridem desiit. Dicitur quidem utile fuisse, ideo præcipue quod tussim leniret; et profecto, si ex tussi tantum demit, quantum ex pulmonis irritabilitate, vel ex diuturna consuetudine, vel denique ex inflammatione membranæ bronchiorum oritur, aliqua atque adeo non mediocri laude dignum est. Veruntamen, oblivisci non debemus, quod in secundo tempore hujus morbi, certus modus tussis ita non malum signum est, ut etiam sæpe salutaris Naturæ conatus sit, ad hominem a copiosa materia purulenta liberandum, et nullo modo cohibendus, ni siquando magis vehemens est, quam ad sputum rejiciendum opus est. Etsi, igitur, concedimus, acidum prussicum interdum in Phthisi valere, tamen cavendum est, ne ita adhibeatur, ut tussim nimis cohibeat; quin etiam tutius fortasse ex toto prætermittitur, nisi ubi tussis frequens, sonoraque, et dolens est, exiguamque copiam sputi edit.

Proxima sunt Vomitoria, quæ adversus Phthisin, nescio qua egregia facultate, plurimum pollere existimata sunt. Demit tamen existimationi medicorum, demit ipsius artis honori, hæc

unquam in tali morbo adhibita fuisse; utpote quorum usus ex perditissima empirice, non certe ex rationali scientia, profectus sit. Quid enim vomitoria in Phthisi profutura esse creduntur? At morbus tuberculosus (id quod jam sæpius quam semel dixi) non ex adaucta, sed ex vitiata actione nascitur. An discutiendo vitia aliqua ventriculi et intestinorum? At horum functiones primo tempore hujus morbi maxime ex parte integræ sunt; neque, quidem, si corruptæ essent, his validissimis, molestissimisque remediis, sanari possunt. Valida, molestaque, autem dico? immo periculosa: neque enim inculcatur ut vomitorium, identidem solum, prout res postulat, adhibeatur, sed ut alterum atque alterum, bis terve singulis septimanis, detur, ante jentaculum, idque in omnibus corporis conditionibus. Parum necessarium esse videtur, hoc argumentum longius prosequi, ut ostendam, quam sit hæc consuetudo absurda, siquidem jam, uti credo, obsolere cœpit. Vellem, equidem, plane obsolevisset: etenim quamdiu hunc usum sequemur, concedendum est, Medicinam non modo conjecturalem artem, sed temerariam, sed præ-

cipitem esse; Pathologicam autem disciplinam vanam imprimis atque inutilem.

Quod ad remedia Expectorantia, nihil hic cogito de istis dicere. In Phthisi dolendum est, quod sputum per se nimis copiosum esse solet; admodumque absimile est, fore, ut aliquid opis ex majore etiam excitatione membranæ bronchiorum percipiatur.

Inter cætera autem medicamenta, Balsama fortasse quandam propriam animadversionem desiderant; ut quæ in Phthisi Curanda, non mediocrem opem, tanquam adjuvantia remedia, afferre possint. Hæc, vero, in primo tempore morbi plane supervacua, atque etiam contraria sunt; semper, enim, aliquid irritationis movent, possuntque ita tuberculorum suppurationem festinare. In secundo autem tempore, non raro admodum utilia esse solent; non quidem ubi sputum copiosum est, continetque portiones materiæ tuberculatæ, sed ubi hoc exigua copia fertur, tenueque et mucosum potius quam purulentum est. Quotiescunque, denique, judicamus cava pulmones membrana quasi mucosa obducta esse, toties credibile est, plurimum balsama profutura esse;

atque ita facultatibus suis propriis effectura, ut fluxus multum coerceatur, membranaque nova celerius ad cicatricem perveniat.

Sed, si vellem omnia, vehementerque inter se diversa remedia, ordine enumerare, quæ in Phthiseos curatione adhibita sunt, aut ad ipsum morbum solvendum, aut ad propria quædam incommoda depellenda, non brevis dissertatio hæc quidem, sed grande volumen foret. Possem enim, inter cætera complura, multum de medicina pneumatica hic dicere; quæ olim in hoc morbo ita laudata est, sed quæ nostris temporibus fere ex toto obsolevit; cumque alia pleraque utcunque aliquando commendata, plane indigna jam tandem reperta sunt, quibus aliquid confidamus, omnia prætermittere malo, quam tempus consumere, mortua (ut dicitur) interimendo. Ostendi jam, quam sit absurdum exquirere aliquid certum remedium, quod in Phthisi semper esset responsurum; veruntamen, utique sperare licet, ex anatomiæ pathologicæ acriore indies studio, fore, ut hujus morbi curatio, si non felicior, at certe magis rationalis aliquando sit; atque, ita, ut medici remediorum effectus, non solummodo tam in sig-

na, quam in structuras ipsas mutatas considerent. Hic labor, hoc opus, manifeste in omnibus morbis curandis esse debet; atque præ cæteris in Phthisi: quæ quidem, quam latum campum diligenter perscrutantibus, quam pulchrum præmium utile aliquid deprehendentibus offert! Neque, enim, senes. ignavi, perditi, huic pesti, sed juvenes, sed pulchri, sed docti, sed pii, potissimum succumbunt: ex quibus unum ab intempestiva morte abripere, nobilissimus triumphus, ut salutaris nostræ artis, ita professoris, semper ac merito est.

FINIS.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

